

Ecole de néo latin – Labex Comod, Ens Lyon.

M. Furno

Robert Estienne, préface à *In Euangelium secundum Mathæum, Marcum et Lucam commentarii. Ex ecclesiasticis scriptoribus collecti, Nouæ Glossæ ordinariæ specimen, donec meliora dominus*. [Genève], Robert Estienne, 1553.

(Extraits)

Atque huiusmodi quidem doctores **pro Christi Saluatoris pura doctrina**, facile libenterque accipient doctrinam scelerati, impiique illius hominis, ac plane athei F. Rablesii eiusque libros qui non minus impie, quam insulse, Gargantuae ac Pantagruelis nomine sunt inscripti, exceptis dumtaxat iis locis, in quibus istos venerabiles contumeliose carpit. Nam quantum ad illas quidem non scurriles, verum etiam execrabiles dicacitates ac irrisiones attinet, in quibus Deum et Iesum eius filium, eiusque Scripturam contumeliosissime, indignissimeque lædit, ita de huiusmodi dictis, iocisque impiis iudicant, vt in iis nihil mali atque offensionis reperiant, ea etiam ad delectationem animi voluptatemque et legant libenter, et audiant. Hoc autem ita esse, ex eo facile potest intelligi, quod nullam vnquam operam dederunt, nec vllam curam adhibuerunt vt postremus liber, in quo ille maledicus ac blasphemus conuitiator cæteros illos libros impios et blasphemos pro suis agnoscit, cum authore cremaretur. Quod si is **de Christo Iesu pure et pie**, et grauitè, vt ipsius maiestate dignum est, loquutus esset, non hanc impunitatem licentiamque obtineret, sed iampridem ipse cum suis libris crematus vstulatusque fuisset. Hæc est præclara religio venerabilium Theologorum & conuentualium monachorum, quorum alteri immanem **luporum** voracitatem, alteri **canum** rabiem ita imitantur, vt etiam eorum immanitatem superent. Neque vero vnquam hæc principia Glossæ ordinariæ ab illis approbata acceptaque fuissent, sed statim sine vlla æquitate condemnata, non ob aliud nisi quod **recte ac vere docent Iesum Christum angularem lapidem, qui in hoc Ecclesiæ ædificio reficiendo ac restituendo**, ita summum principemque anguli locum, ex quo ab his impiis architectis deiectus erat, iterum recuperauit atque occupauit, vt in ipsorum caput sit casurus, eosque omnino oppressurus, quanuis omnia moliantur et agant, vt omnes homines tam summos quam infimos seducant.

Sed quæ est eorum arrogantia, vt existiment se in hac impia scelerataque conspiratione aduersus Dominum suscepta et conflata, plus effecturos quam vnquam fecerunt ipsorum patres, ac magni Scribæ, Pharisæi, Sadducæi, Herodiani, principes Sacerdotum, quibus inuitis, Iesus Christus ab illis crudelissime necatus regnat & regnabit in perpetuum ? Nec vero nobis mirum videri debet, si in hoc vnum omnibus conatibus ac viribus incumbant, ne vlla mentio fiat huius doctrinæ, quam nouam appellant, quum ea omni antiquitatis memoria, omnique ætate fuerit. Noua quidem illis videtur, quemadmodum nobis visa est, propterea quod diu hominibus ignorata, atque in maximis tenebris plane sepulta, nunc **singulari Dei benignitate excitata, et quodammodo renouata**, in hanc clarissimam lucem atque hominum cognitionem prodierit : vt in hac pulchritudine **restituta**, alia quam in illa pristina deformitate, merito esse videatur. Nam hæc quidem doctrina nihil aliud docet quam pœnitentiam, et fidem in Christum Iesum, et mortificationem carnis, abnegationemque omnium rerum quæ in hac carne mundoque Deo displicent : denique vitam æternam per eundem **Christum**, quam iam in hoc mundo **fide atque spe** apprehendimus, expectantes beatam illam resurrectionem in qua corporis nostri redemptionem, gloriamque perfectam consequemur. Hæc inquam doctrina eis noua atque inusitata, neque tamen inaudita, nullo modo placere potest, sed omnia potius cætera quæcum ea maxime pugnare videantur. Itaque illorum causa nos hunc laborem non suscepimus, vt hos commentarios colligeremus, sed eorum potius **qui in vera fide coniunctaque cum charitate, Christum Iesum desyderant**, ad eumque vt **vnum nostræ salutis**

authorem, tot animo atque studio aspirant : quem ego etiam atque etiam maximopere precor vt breui istos **lupos** execrandos, omnesque impios ac blasphemos Rablesiastas, satanæ doctores, breui ex grege suo profliget, atque exterminet : id quod certe facturus est tum denique quum tempus abominationum errorumque, quod isti in mundum introducunt, expletum fuerit. Nunc quidem certissimo ac iustissimo iudicio eos in medio populi sui regnare sinit. Etenim quum homines nolint recipere **doctrinam veritatis**, oportet vt credant spiritibus erroris fallacibus, qui sub prætextu nomineque Iesu Christi, alium quam eum Saluatorem docent, eum que irrident qui ipsos creauit, cuius etiam virtute in hac vita continentur.

Ne autem istorum impostorum fallacia, in ipsorum **falsa atque impia doctrina** constituta, a populo imperito, ac plane excæcato cognoscatur, extorquent a principibus edicta, quibus acerrime vetant, nequis **Scripturas sanctas legat, præsertim sermone Gallico** : illam quidem blasphemiam in ore suo impuro vsitatam perpetuo habentes, qua doctrinam Euangelii quoddam animarum venenum esse dicunt : quæ ipsis quidem doctrina est ad mortem, fidelibus vero Christum Dominum agnoscentibus, ad salutem atque vitam. Ita omni ratione ac fraude prouident, et agunt ne populus **falsam ipsorum doctrinam** animaduertat, atque intelligat : quæ quidem nulla ratione alia detegi ac perspicere potest, quam **lectione Scripturæ sanctæ, in qua salus & vita æterna nobis est promissa et confirmata per Iesum Christum**. Is autem semper omnes suos fideles ad eandem Scripturam mittit, vt ex ea vna suam salutem intelligant atque cognoscant.